

boni fecerint aut mali: hoc iustè à Deo fieri non posset, nisi esset pereuntium, & saluandorum diuersa natura: in vnis spiritualis, in aliis carnalis.

3 Angelos ex summo Patre & Æone procreatos, quibus nomina barbara imponunt. Septem autem genitos concubitu humano. Hoc à superioribus hæresibus sumptum est. 4 Duplicem Deum primi illi falsissimè induxerunt, vnum bonum: alterum malum. Hinc Manichæi sæces suas apertissimè deprompserunt. 5 Christum distinguunt, vt aliam personam, à Iesu. Descendisse enim Christum in Iesum iam natum & grandè, & penè triginta annorum, quo primùm tempore cœpit miracula edere. Demum autem post resurrectionem vnitum esse Christum Iesu. Irenæus. Hinc Nestorianismi & Eutychianismi vetustissima & venenosissima semina, quæ postea excitauit, & robustius germinare fecit Satan. 6 Christum post resurrectionem per octodecim menses hîc in mundo versatum citra manifestissimam Scripturæ fidem. Act. 1. vers. 3. Irenæus. 7 Martyria negarunt pro nomine Dei subeunda Christianis. Tertullianus. 8 Imagines Christi depictas coluerunt, & in summa veneratione, vti gentes, suorû Deorû pictas habuerunt. Quod ipsum hæresin esse docet Irenæus, quia nondum in Dei Ecclesia erat idololatria vti nunc est. Habetur enim nunc istud valde inter Pæpistas religiosum: inter rectè sentientes Patres, ethnicum.

---

CAP. VII.

Carpocratiani vnde appellati. Erroris autem capita sex referuntur.

f iiij.